

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA SISTENS QUÆDAM
DE
CONVALESCENTIA.


QUAM

255

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI PRÆ-
SIDIS ET DIRECTORIS, PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS
DOMINI DECANI, NEC NON CLARISSIMORUM. D. D. PRO-
FESSORUM, PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA RITE
OBTINENDA IN ALMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE
PESTIENSIS PUBLICÆ DISQUISITIONI

SUBMITTIT

JOSEPHUS NOVÁK.
HUNGARUS ROSNAVIENSIS.



01 JUN 1884

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Universitatis
majori die Febr. 1832.

PESTINI,
TYPIS LANDERERIANIS.

M A G N I F I C O

A C

CELEBERRIMO DOMINO

MICHAËLI a LENHOSSÉK,

INSIGNIS ORDINIS R. SVECICI GUSTAVI VASAE EQUITI,
SACRATISSIMAE CAESAREAE ET REGIO APOSTOLICAE
MAJESTATIS AD EXCELSUM CONSILIUM REGIUM LOCUM-
TENENTIALE HUNGARICUM CONSILIARIO, I. REGNI HUN-
GARIAE PROTOMEDICO, IN R. SCIENTIARUM UNIVERSITATE
PESTANA STUDII MEDICO — CHIRURGICI DIRECTORI, ET
FACULTATIS MEDICAE PRAESIDI, FACULTATIS MEDICAE
CAESAREO REGIAE SCIENT. UNIVERSITATIS VINDOBO-
NENSIS, ACADEMIAE JOSEPHINAE MEDICO — CHIRURGI-
CAE, SOCIETATIS REGIAE BRIT. GÖTTING. PHYS. MED.
ERLANG. NEC NON ACAD. MED. CHIR. NEAPOLIT. SOCIET.
MED. VILNENSIS ACAD. SCIENT. TAURINENSIS, ET ALIA-
RUM ERUD. SOCIET. MEMBRO.

V I R O
SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA,
NEC NON
HUMANITATE, PROBITATE, DECORE
AEQUE INSIGNI,
SPECTATISSIMO, CELEBRATISSIMO,
SUMMO LITTERARUM CULTORI ET PROMOTORI
IN TESSERAM GRATITUDINIS ET OBSESVANTIAE,
PIA CUM VENERATIONE
HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS
SACRAS ESSE VULT.

DEVINCTISSIMUS HUMILLIMUS.

AUCTOR.

§. 1.

Illud temporis intervallum, quod vita restaurans, post morbi finem, et ante perfectam sanitatis restitutionem, ad effectus morbi tollendos, et ad plenariam sanitatem restituendam impendit, a medicis convalescentia, reconvalescentia vocatur. (Die Genesung, Wiedergenesung, Wiederherstellung, fellábadás, felgyógyulás, egéséghelyre állás.) Est igitur convalescentia ille status, ubi nec morbus, nec vera sanitas adest, constituitque statum intermedium, transitorium inter utrumque. Hinc convalescentia male a nonnullis ad morbi stadia refertur; nam quod tantum finito morbo oritur, eo ipso ad morbum pertinere non potest. Oritur quidem convalescentia ex morbo, sed jam finito; ut huius quidem effectus sit, prout et iste ex dispositione morbosa originem sumit, quin ideo dispositio ad morbos, morbus dici posset. Simile quid est etiam in Convalescentia, quae maximam tum ad morbum, tum ad Sanitatem dispositionem involvit, et tantum a causis externis internisque determinatur in quam nam partem vergat.

Sed nec idea morbi cum ista assertionem congruit: morbus enim semper vitae internae corporis cujusdam organici vivi mutationem abnormem supponit, qua ipsius evolutio turbatur, destructio promovetur, vitaeque interna a legitima inter evolutionem et totum vitae suum ratione a norma re

cedit a.) Seu morbus donec viget, semper destructionem et extinctionem vitae, et corporis in quo adest Organici molitur: ast Convalescentia vitam victricem, si vis, naturam illam medicatricem ex morbo emergentem, et nunc illo superiorem, cumque cum omnibus, quos produxit mutationibus abnormibus, extinguere molientem refert. Hinc morbus vitae est oppositus et inimicus, Convalescentia vero semper amica, ad morbum igitur nullatenus referenda.

Verum nec Sanitas dici potest Convalescentia; nam in sanitate adest harmonia omnium functionum et actionum, cum robore, alacritate atque constantia virium, Characteri generico, speciali, et individuali normae correspondente; in Convalescentia autem una, alterave harum Conditionum deest. Per morbum enim, seu processum dynamico-vitalem internum abnormem, vitae, et in quo haec viget materiae, organicae mutationes abnormes imprimuntur, quae morbo quamvis sublato illico non extinguuntur, et tempore aliquo ut sufferantur, indigent. Hinc in Convalescentibus languor vitalis et functionum, cum minori vi, alacritate majore, vel minore, et constantia, cum consumptione materiae organicae maiori, et alienatione remanent, unde maior generatim ad morbos praesertim recidivas, dispositio.

Organismus noster particularis vivus, universi pars, ex cuius sinu materno vitam haurit et sustentat, unde procedit, rursusque recedit, tam in statu sano, quam etiam morbo, iisdem legibus, quibus universum regitur obtemperare debet; et prouti in infinita illa rerum creaturarum varietate, saltus desiderantur, ita, hic quoque, transitus saltem observantur, nec uno quasi ictu functionum et actionum vitalium concentus restituitur.

Ex his luculenter elucet, Convalescentiam non pertinere ad morbum neque ad sanitatem plenariam, verum intermedium inter utrumque constituere statum, ex quo vita prout circumstantiae determinant externae internaevae, et prout morbi natura, eius intentio, extensio et duratio fuit etc. mox in hunc, mox vero in illum statum declinat, vel et morti tradit vivum.

Quibus si adhuc alia addenda super essent, in illud attentos reddere habeo; quod Convalescentia non semper et necessario salutis futurae prodromus est: Sed praeter morbum et mortem potest inducere, relicta enim Organorum vitalium graviore laesione, aut virtute vitali ad imum prostrata, sub continuo influxu potentiarum externarum, quamvis alias non nocivarum, corpus tamen organicum, licet ab omni morbo liberatum, effectus eius sufferre non valet, verum magis, ac magis consummitur, et placide inermis letheis sopietur undis a.)

§. 2.

Quae in praegressis de definitione convalescentiae dicta sunt, ad ejus divisionem applicata, hanc mihi non aliam nisi duplicem esse bonam nempe et malam admittunt seu perfectam, et imperfectam.

Bona seu perfecta convalescentia illa erit dicenda, ubi morbo extincto functiones omnes organico vitales debite incedunt, materierum organicarum per morbum consumptarum, et alienatarum, restitutio et ad normam reductio vigent, viriumque dispendium magis ac magis resarcitur, seu brevius, bona erit illa convalescentia, quae iterum in plenariam sanitatem transit.

a) Ph. Caroli Hartmann Theoria morbi.

Conditiones ejus sunt sequentes a) ut morbus penitus extinctus sit b) ut ea quae sub morbo generantur, e corpore penitus eliminantur c) ut actionum et functionum contentus restituatur d) corporis viriumquae restauratio bene vigeat.

Absentibus his conditionibus, mala erit convalescentia seu imperfecta, qua effectus morbi, per actionem vitalem corporis organici non extinguntur, et individuum vel recidivae, vel morbis secundaris, vel vero et morti traditur. Respectu durationis convalescentiae in acutam et chronicam sub divisio, prout prognosim multum determinat nondum omni utilitate caret.

Causa duplicis hujus convalescentiae, a diversis dependet momentis, uti sunt natura morbi, ejus intentio, extensio, duratio, decursus, crises perfectae vel imperfectae, multum quoque valet in convalescentiam bonam vel malam inducendam, genius epidemicus stationarius, et annuus, endemia, individuum ipsum, ejus aetas, constitutio, temperamentum etc. regimen, therapia, et diaeta congrua vel incongrua, et aliae circumstantiae sub et post morbum agentes, congruae, vel incongruae, quae omnia convalescentiam, nunc in bonam nunc vero in malam vertunt.

§. 3.

Modo causam convalescentiae indagans, illam pari ratione in extinctione morbi per vitam, prout mortem in extinctione vitae, per morbum pono; hinc causa convalescentiae, semper mors morbi erit; vita victrix persistente. Innititur vero haec morbi sublatio, partim ipsi vitae, et legibus, quibus ipsa vita in corpore adstringitur vitalibus, sive propria vi operantis naturae, sive artis auxilio plus, minus adjunctae; partim vero debetur iis legibus, quibus decursus morborum sancitur; hinc in ipsa natura morborum quaerenda est.

Vita, in corpore organico vicens, certa forma et mixtione praedito, oppositioni dynamicae et materiali innititur, per res externas sollicitata, corpus suum organicum vivum, diversis functionibus at actionibus capacem, juxta typum, generi, speciei, atque characteribus individualibus convenientem construit; et nisum hunc, se in primitiva, a natura jam, determinata individualitate conservandi, non obstantibus invasionibus inimicis externis internisque, etiam in morbooso statu conservat.

Unde vita morbo semper renititur, nec aliud est vita, ac lucta perennis, inter vim vitalem et morbum, vigilia, et somnus.

Exinde illud nunc sequitur, quod corpus organicum, quamdiu vivum est, in se nihil patitur peregrini, et hinc nihil abnormis, sed omne potius corpus, sive forinsecus susceptum; sive in ipsis organorum penetralibus generatum adsimilare, et in scopum suum convertere connatur, vel si huic noncedit, e corpore eliminare.

Praeterea huc accedit periodica illa vitae mutatio, in qua nunc factor unus vitalis, nunc vero alter praevalet, positivo negativus cedit, et vice versa, nunc vita animalis, nunc vero plastica palmam sibi vindicat, vigiliae et somnus, aetatis periodi, atque illud quod omnis virium intentio et materiarum dispendium, aliquem motus quietem pedissequam habet, (et quidem generatim eo majorem quo major fuit vitae intentio) quo tempore vitae plasticae, vis major, animali vero, seu motricis vis minor additur, et amissa restituendi tempus conceditur. Haec inquam quies relativa in causa est Convalescentiae.

Dein et morbus ipse, qua vitae quamvis abnormis species, generalibus ejusdem legibus se subducere non potest, sed iisdem legibus oritur, crescit, senescit et moritur, interitusque sui germen, jam ab origine, in sua natura recondit, et cum limitatam adficiat vitam, et ipse limitibus

circumscribatur oportet. Ipse enim morbus ut dico, processui vitali dinamico innititur, per potentias externas, internasque nocivas, a norma sua deflectente, ex conflictu factorum vitalium oppositorum oritur, qui se mutuo sollicitantes, singularem vitae faciem, normali oppositam, morbi que singuli propriam, in lucem proferunt, quae nisi ad certum intentionis gradum perstare potest, et hunc transgrediens, se mutuo exhaurit donec iterum restauratis suis principiis, quibus suam debet originem vel nova vi resurgit, vel in alium et oppositum transit, vel remisui vitali hoc tempore superiori, qui nihil in se patitur peregrini cedit, et necatur. Haec omnia in vita et in ejus legibus radicanur, in quibus plura alia suam inveniunt explanationem, uti sunt remissiones et intermissiones morborum, seu periodicitas, decursus certus nonnullorum, typus singularis atque crises, quibus omnes quotquot sunt morbi adstringuntur.

Sicuti igitur vita non est absoluta, sed certis spatii et temporis limitibus restricta, ita et morbus, seu vita inferioris ordinis iisdem limitibus circumscribitur, et sicuti haec ita et ille decursum suum per certos gradus quidem, sed per brevius temporis intervallum absolvit.

Videmus hic naturam mirificam nihil abnormis producere, sed omnia ordini certo cuique proprio, et legibus divinae sapientiae, menti humanae saepe imperscrutabilibus adstringi; harmoniam certam, tam in statu sano, quam etiam morbo adesse, vitamque humanam longe majoribus viribus pollere quam ars superba saepe admittit.

Haec omnia ostendunt, quod in intimis naturae penetralibus, facultas lateat, morbo imminenti resistendi, ingruentem coercendi, saevientem domandi, et se in integrum restituendi, ne quis tamen ideo seducatur, ut credat, artem nihil ad restituendam mortalium salutem conferre. sunt enim morbi plurimi, ubi haec naturae salutaris

conamina non sufficiunt, et ubi luctantí cum morbo vitae, ars succurrere debet, ut convalescentia et sanitas accedat, qua excessus virium componitur, debiles refocillantur concentus restituitur. Sed in hoc quoque casu, medelae ratio semper eadem est, et convalescentia ubique vitae effectus erit. Hinc quidquid medicus in aegrorum salutem molitur, naturam sequatur ducem oportet.

Ex his omnibus sequentia deducuntur.

1-mo Nimia virium intentio semet ipsam consumit, et hinc se destruit.

2-do Vires exhaustae quiete et restauratione reficiuntur.

3-io Ilinc excitando illinc componendo functionum concentus restituitur.

4-to Processus morbosus se ex natura sua consumendo tandem exstingvitur, et quas produxit materias e corpore eliminantur, et consumpta per vitam restaurantem compensantur. a.)

§. 4.

Signa Convalescentiae Generalia.

Vita sub duplici specie, scilicet plastica, et animali, in lucem emergens, morbi subjectum est; hinc etiam mutationes illae diversae, quas morbus sub suo decursu, et post finem inducit, in utraque hac vitae specie conspicua sint oportet. Varietas modo illorum phaenomenorum quae tanquam morbi effectus in reconvalescentibus observantur, a variis dependet momentis, uti, ab indole ipsius morbi, a loco quem in organismo occupat, ab ejus extensione, gradu, duratione, decursu, et exitu, etc. therapia ab individuo ipso, et ab aliis circumstantiis, quae omnia in generalibus definiiri accurate non possunt, generatim tamen sequentia sunt, morbus ipse cum suis symptomatibus disparet, evacuationes criticae inminuuntur, saepe penitus disparent, alias modo comparent, vel saltem continuant,

a) Ph. Caroli Hartmann theoria morbi

vires organismi paulatim increscunt et materiae deperditae resarciuntur alienatae emendantur, functionum et actionum concentus redit; se et excretionum anomaliae disparent. etc. Propter virium et materierum dispendium atque alienationem varia adsunt, hic symptomata: adest generatim inconvalescentibus debilitas, nunc major nunc minor, in functionum et actionum langvore conspicua, motus debilis, iners, vel et praecipitatus, attamen cum minori vi et constantia, sensibilitas et irritabilitas nunc aucta vel imminuta.

Substantiae organicae consumptio major vel minor, elaboratio retenta, hinc et vera alienatio, humorum penuria, vel et dyscrasia, se et excretionum nonnullarum aliqua saltem anomalia. Hinc emaciatio totius corporis saepe ingens, sceleti adinstar, partium solidarum laxitas, major organorum teneritudo et mollities, cohaesio et nexus infirmatus, et hinc major ad laesiones mechanicas dispositio, pallor totius corporis, color varie alienatus, saepe ob majorem irritabilitatem a stimulis exiguis, rubor transitorius faciei, congestiones etc., calor corporis normalis, cum majori erga frigus sensilitate, turgor vitalis minor facies collapsa emaciata, pallida, obtutus langvidus, hilarior, cum oculis retractis, et annulis lividis circa orbitam. Adpetitus redit et est vel normalis, vel hunc plane excedens saepe singularis, sapor normalis, digestio vel bona, ut plurimum tamen debilior, lentius incedens, assimilatio et nutritio langvent, se et excretiones normales, vel aliqua anomalia laborantes, materierum et virium restauratio, et emendatio de die in diem major. Somnus placidus, longius protractus, valde reficiens, cum vel sine sudoribus debilitantibus coenaesthesis normalis, saepe exaltatus, cum grato secundae valetudinis sensu per totum corpus diffuso: major tamen sensuum vigor cum stimuli impatientia, vel torpor, in motibus vitalibus deest robur et constantia, hinc agilitas major, vel torpor adest, et motus sunt difficiliores tardiores, diutius protracti defa-

tigationem, et delassationem inducentes, hinc itus, difficilius, et cum extensores musculi serius recuperant vires quam flexores, ideo caput et totum corpus antrorsum flectitur, musculi tremunt, imprimis sub intentione, ob debilitatem veram praesentem major virium consumptio, vertiginem, susurrum, oculorum obnubilationem, visus et aliorum sensuum fallaciam producit, auditus est acer, vel adest barjecoia, aut cophosis, animus est laetior, hilarior, jucundus et serenus, sed debilis saepe valde mobilis, in affectus et pathemata pronus, variabilis, vel segnis, se novitus creatum sentiens, erga delicias mundi, majori amore fertur. Estque statu suo vel valde contentus, vel non contentus, quaeribundus, fit hypochondriacus, vel hystericus; evigilant instinctus et sexus sexualis cum salacitate saepe nimia.

§. 5.

Duratio convalescentiae, usque perfectam sanitatem, variat, et determinari generatim non potest, quoniam hoc a mutationibus majoribus vel minoribus, corpori per morbum inductis, et a faciliore vel difficiliore sublacione dependet. In quibus omnibus debemus, ad varias causas respicere: uti ad naturam morbi, ejus intentionem, durationem, extensionem, decursum et exitum, ad individuum ipsum, ejus aetatem, constitutionem, temperamentum, sexum, ad constitutionem epidemiam, anni tempus, ad qualitates loci, ad regimen, diaetam et therapiam, atque ad alias circumstantias progressas et praesentes. Generatim dici potest eo diutius convalescentiam durare, quo major morbi vix superati fuit ferocia, quo longius duravit, negligebatur, vel incongrue tractabatur, quo graviore morbus induxit materiae organicae et virium mutationes, quo frequentiores recidivae, vel alii morbi aut causae vitam infirmantes, quo magis imperfecta fuit morbi solutio, quo debilior est indi-

viduum, ^{1.} quo provectionis aetatis, et quo magis vita reproductiva langvet.

§. 6.

Prognosis. Generalis convalescentiae prognosis iisdem ac duratio premitur difficultatibus.

Generatim bona est statuenda, imprimis tunc, si morbus gravis effectus non induxit, si perfecte solutus est; si constitutio reconvalescentis bona est, et functiones omnes organico vitales, praesertim digestio, adsimilatio, sangvificatio, nutritio, se et excretiones, bene procedunt, et reliquae quoque circumstantiae convalescentiae favent, corpusque de die in diem tam dynamicè quam etiam materialiter restauratur.

Dein convalescentia eo meliorem admittit prognosim quo major est temporis intervallum inter morbum finitum, et convalescentiam quo proprius igitur ad sanitatem plenariam accedit.

His conditionibus absentibus, prognosis dubia erit, qua major generatim ad morbos, in specie recidivas dispositio remanet, vel et sanitas, perfecta nunquam restituetur.

§. 7.

Therapia. Est diversa, respectu diversi status convalescentiae, et respectu diversarum per morbum inductarum mutationum; ita ut nunc solum regimine diaetetico congruo, nunc et remediis pharmaceuticis opus est. Indicationes quae in omni convalescentia respici debent, sunt, dispositionem ad recidivas, vel et alios morbos tollere, et effectus morbi alios extinguere. Omnes fere morbi sub suo decursu vires et materias organicas in diverso gradu consumunt, atque alienant, hinc in omni convalescentiae cura, ea erit indicatio ut vires refractae excitentur, ma'e-

riae amissae restituantur, alienatio, ad normam reducatur, omnisque virium et materierum dispendium praecaveatur.

Maximi sub hoc respectu momenti est, regiminis et Dietae congruae selectus, in his vero ordinandis, ad statum virium attendatur oportet, hinc motus corporis viribus organismi respondeat, quies corpori saepius concedatur et somnus protractus, quietus, qui optime restaurat convalescentes; animi, hilaritas, et serenitas mentis procuretur, remediis grate excitantibus, occupationibus amoenis, distractionibus, cum amicis caris, vel familiaribus, musica, cantus, spectacula. Vitentur omnes causae, animum et mentem nimio opere exagitantibus, adfectus et pathemata inducentes, prout et omnia nimiam virium intensionem et humorum praesertim nobilium jacturam producentia, hinc ira, moeror, tristitia, terror, studia fervida, motus nimius corporis, labores duriores spermatis aut aliorum humorum, imprimis nobiliorum evacuatio sollicite vitentur, et castitas vitae cum munditiae corporis servetur, omnisque causa occasionalis nociva praecaveatur, functiones omnes, in statu normali conservantur, abnormitates tollantur.

Diaeta statui totius organismi, imprimis vero conditioni organorum digerentium et adsimilantium accommodetur, victus sit leniter nutriens, copia minori, frequentius potius repetita, concedendus, digestionem facile cedens, magis vel minus stimulans, assimilationem subire non recusans. Pro potu in plurimis casibus aqua pura simplex optime indicatur, in aliis casibus praestat, modici vini, vel puri vel cum aqua remixti antiqui boni, usus; aut cerevisia bene fermentata, vel et alii potus, prout indicationes expetunt.

In remediis therapeuticis ordinandis, praegressa et praesentia bene perpendantur et argute examinentur, an therapia antiphlogistica, solvens, tonico solvens, roborans, stimulans, alterans, sopiens, derivans, evacuans, vel specifica, vel et alia sit indicata.

Illud adhuc hic addere debeo, ut in cura convalescentiae ex morbis, ad convalescentium instinctum etiam attendamus necesse erit, nam hic saepe optime nos diriget in indicationibus inveniendis, quin tamen huic indici semper fidendum esse adfirmarem. Cum experientia constet, aegros, et medicum saepe a sensu communi falli.

De convalescentia ex febris generatim.

§. 8.

Quum febres omnes, qualescumque illae fuerint, consumptionis processum involvant; qua praesertim vitam, in systemate vasorum vigentem, et per hanc totum corpus organicum vivum male adficiunt, graves exinde vitae, et materiae organicae mutationes imprimunt, morbo sublato non illico tollendas, sed longo saepe tempore perstantes. Hae modo mutationes, in convalescentia ex febris observandae, si illa non turbatur, vel interrumpitur, paulatim tolluntur, in quantum harmonia actionum et functionum, praecipuis systematis sangviferi restituitur, se et excretionum turbae componuntur, coenesthesia ad normam reducitur, et digestionem, adsimilationem atque nutritionem recte procedente, dynamici et materiales febris effectus extinguuntur, pristinaque corporis integritas redit. Varia illa quae in convalescentibus ex febris observantur phaenomena, varie differunt, pro differente febris natura, gradu, duratione, decursu et exitu, pro diversa therapia, regimine, et diaeta, epidemia etc. pro diversitate individui, et causis hanc determinantibus, unde et variam reconvalescentiae faciem imprimunt, dillicilius definiendam, generatim tamen sequentem.

Postquam febris cessavit, convalescentes, statum suum laudant, languorem tamen et delassationem, atque debilitatem accusant, hinc solennem virium corporis, et

mentis intentionem non ferunt; adest praeterea in his irritabilitas et sensibilitas adaueta, vel imminuta, humorum nonnullorum praesertim sanguinis penuria, qualitas mutata, unde nutritio corporis retenta, partium solidarum mollietates, major organorum teneritudo, laxitas, emaciatio, cutis pallor, color varie alienatus, turgor minor, sensibilitas erga mutationem temperaturae, major debilitas et langvor motus muscularis, langvor functionum mentalium cum minori constantia; major vasorum irritabilitas, hinc dispositio ad orgasmum, congestiones, se et excretionum aliqua anomalia, dispositio ad morbos magna, praesertim ad recidivas.

Signa hanc convalescentiam intrare indicantia sunt, febris silentium, crises perfectae praegressae, vel saltem lyses, aut metastases bonae, appetitus, digestionis, adsimilationis, et nutritionis restitutio, hinc virium corporis mentisque incipiens vigor, et restauratio corporis, cum notabili semper emendatione procedens.

§. 9.

Duratio convalescentiae ex morbis febrilibus variat, estque nunc longior, nunc vero brevior, prout, mutationes, majores vel minores, organismo per morbum, vel per adhibitam medelam inductae sunt; multum quoque determinatur duratio, a rationibus individualibus, a vi et robore vitali majori relicto, nec non ab amicabili influxu, diaetae, regiminis, epidemiae, anni temporis, loci, et climatis conditionibus, plurimum etiam valet ad durationem determinandam ipse morbus, ejus natura, gravitas, duratio, et aliae complures circumstantiae.

10.

Prognosis. Erit dicenda, quo minoris gradus fuit morbus, quo brevius duravit, quo magis a natu-

ra medicatrice sanabatur, quo magis perfecta fuit illius solutio, quo minus ex dispositione ortus est, quo magis simplex fuit, quo pauciores vel nullae recidivae, vel alii morbi vitam infirmantes praecesserunt, quo vegetius individuum fuit et permansit, generatim quo minores et pauciores materiae, et virium, mutationes per morbum inductae sunt; et quo facilius illae a vita, necdum prostrata, tolli possunt.

In Prognosi pronuncienda respiciatur etiam tempus convalescentiae, quo magis enim convalescentia ex una parte a morbi fine recessit, ex altera vero ad sanitatem propius accessit, eo minus sunt recidivae timendae.

§. 11.

Therapia. In curatione convalescentiae ex febris, probe notetur; quod hic magna generatim adsit dispositio ad morbos, imprimis recidivas.

Deinde, quod in periodo convalescentiae ex morbis acutis, plurimum debilitas remanet diversi gradus, cum irritabilitate imprimis systematis vasorum adaucta, et nutritione, atque incremento humorum, et partium solidarum, retento.

Respectu primae indicationis omnis medici et aegri cura in eo versetur oportet, ut potentiae externae omnes, praesertim tales, quae respectu naturae suae, aut agendi modo, recidivas producere, aut aliam febrem provocare valent, quousque saltem conceditur vitentur.

Therapia reliqua debet characteri febris praecedentis, statuique virium totius organismi accomodata esse; nunc solvens, tonico solvens, vel excitans, stimulans, se et excretiones impellens et promovens, vel restringens, evacuans, alterans, nutriens, roborans, obvolvens, antisepticum etc. esse.

Observare debet hic medicus aegri instinctum, qui

saepe fidus Achates optimam qua sequatur viam ipsi monstrabit.

Maxima autem merita regimen, et diaeta congrua habent, quo respectu nutrimenta tanta sunt concedenda, quanta organa digestiva consumere, et assimilationi dicata in suum, et totius corporis usum, convertere norint. Absint hinc omnes cibi digestu graves, parum nutrientes, tenaces, vetusti, nec alii concedantur praeter digestu faciles, affatim nutrientes, bene parati, sapidi, moderate stimulant, magis fluidi, quam solidi, vegetabiles, animalibus praeferantur, portiones minores, saepius potius porrecti conducunt, major enim moles ciborum ad semel captum, ventriculum opplendo, digestionem retardat, imperfectam reddit, corruptioni et sordium generationi favet.

Potulenta sint mitia, corpus reficientia, animum exhilarantia, digestionem adjuvantia, se et excretiones in statu normali conservantia, hinc aqua pura, recens, vel sola, vel cum modico vjuo remixta, sanissimum praebet haustum; vinum purum, vetustum, non valde generosum, parva quantitate assumtum uti et cerevisia bene fermentata, cum stimulante vi et nutrientem conjungens virtutem, exhaustis et langvidis, ad vires refocillandas optime conducit. Nimius tamen spirituosorum usus, superstimulando, tantum abest ut vires recreet, ut potius langventes exhaust, aut vasorum systema exagitando, orgasmum producit, vel febrim revocat, congestionibus aut aliis malis occasionem praebet. Hinc omnis ingurgitatio maxime nociva. Quin et modicus stimulantium usus, si etiam debilitas adest conducat, si illa cum stimuli impatientia et nimia irritabilitate imprimis systematis vasorum conjuncta incedat. Administrationem aliorum potulentorum, nutrientium, vel roborantium, dijudicatione medici relinquam.

Aër atmosphericus ex qua vitam et pabulum haurimus, magna vi in subvertenda et restituenda mortalium

salute gaudet, hinc a medico, in aegrorum curam intento, magni aestimetur necesse est, et habeatur ejus ratio etiam sub cura convalescentiae. Oportet autem, ut aër convalescentem circumdans, sit purus; ab omnibus igitur peregrinis et nocivis quousque licet liber, moderate calidus, non humidus, quod fit eum saepius renovando, vel ventilando, munditiae summa in cubili servata, sordium exportatione, puritate vestimentorum, lecti, et corporis; cavendum erit ab aëre perflante, impuro.

Distractiones animum exhilarantes, reficientes, menti serenitatem conciliantes, vita socialis, cum amicis bene moratis, convalescentiam summopere adjuvant, et promovent; occupationes leviores, non tamen defatigantes, amoenae, ad sanitatem revocandam plurimum saepe conferunt. Musicae harmonicae concentus, cantus, et alia mirifice saepe agunt non tantum in promovendam sanitatem, sed et ad debellandos morbos, dolores mitigandos et sic porro.

Removeantur, vero omnes, sive occupationes sive distractiones, animum exigitantes vel deprimentes, hinc iram, tristitiam, moerorem, terrorem, odium, etc. provocantes; sed etiam animi motus grati, subito ingruentes, hilaritatem et laetitiam nimiam causantes, vitentur.

Quod vero motum et quietem adinet, et haec statui accommodentur necesse est. Hinc prout vires admittunt, sessio in lecto, vel extra lectum, mora in cubili, vel in aëre libero, lusus vires exercentes, et animum distrahentes concedantur, conducunt etiam motus passivi, uti vectio in rheda, equitatio etc. Sed nec quies desit necessaria, itaque et somnus saepius et per diem capiatur, nihil enim magis reconvalescentes reficit quam somnus placidus, nimis tamen, et propter aestum cum sudoribus conjunctus debilitatem augendo, torporem inducendo, nocet.

Sollicite vitetur omnis nimia et repentina, corporis, mentis, organorum digerentium, et adsimilantium intentio,

prout et omnis humorum, praesertim nobilium jactura, v. g. seminis et sic porro.

Convalescentia ex febris inflammatoria.

§. 12.

Convalescentia ex febris inflammatoria eo citius absolvitur, quo morbus simplicior fuit, quo mitior febris erat, quq magis congrua adhibebatur therapia, regimen, et diaeta. Hinc et convalescentia purissima, et optima erit, nam praeter aliquam virium debilitatem, sensibilitatem normali aliquanto majorem, pulsum saepe debilem, cito accelerandam, et exiguam substantiae organicae jacturam, hinc dispositionem ad recidivas remanentem fere nihil aliud observamus; quae omnia vis naturae illa medicatrix, absque artis auxilio suffere solet, si modo perversa vitae ratio illam non cohibeat.

Alias solet hanc convalescentiam notabilis saepe debilitas stipare, cum delassatione et defatigatione imprimis sub motu, quod praesertim tunc accidit, si febris valida praecessit, (ex lege oppositionis dynamicae) vel si therapia antiphlogistica in majori gradu, extensione, et duratione adhibita est, aut nisus in adynamiam adfuit.

Vel remanent signa plethorae, uti sunt: habitus sanus, vegetus, color corporis amoene ruber, imprimis genarum et labiorum, generatim partium illarum, quae tenera epidermide obvestiuntur, calor et turgor vitalis major, imprimis post usum stimulantium, et post exiguum motum, sensus ponderis, inertia motus muscularis, cum facili delassatione et defatigatione, respiratio difficilior, lenta, pulsus ut plurimum rarus, magnus, plenus, fortis, mollis, saepe duriusculus; post pressionem alicujus partis sequitur sensus stuporis et formicationis, sensus, pressionis, et oppletionis, habitus corporis torosus, alvus clausa, ob-

stipata, urinae saturatius rubrae, dispositio ad locales congestiones, ad inflammationes, recidivas, apoplexiam etc.

Adpetitus in convalescentibus ex febris inflammatoria est vel bonus, vel debilis, digestio normalis, vel languidior alvus frequentissime clausa, rarius diarrhoica.

§. 13.

Duratio. Convalescentia ex febris inflammatoria simplici citissime absolvitur, longius durat si complicata fuit, et tunc protractio a complicatione determinatur.

§. 14.

Prognosis. Febris inflammatoriae convalescentia laetissimam admittit prognosim, si simplex, fuit, nam tunc natura ipsa, absque omni artis accessu, sanitatem pristinam restituit.

Si vero debilitas major, aut status plethoricus, remanet, prognosis laeta statuenda erit, si modo regimen diaeta, et therapia congrua adhibeantur, sub conditionibus oppositis recidiva vel alter morbus sequitur.

§. 15.

Therapia. In curatione hujus convalescentiae, recidivae, vel et alter morbus praecaveatur, et effectus morbi tollantur necesse est. Hinc omnis causa occasionalis sollicito vitetur. Et si febris non fuit valida, status virium ante et post morbum bonus, cum exigua substantiae organicae jactura permansit, tunc quies et somnus, victus digestu facilis, partim vegetabilis partim animalis, potulenta simplicia e. g. aqua pura, vel cum aceto vini, aut aliis acidis vegetabilibus remixta, aer purus, animus serenus, et alia, sufficient ad plenariam sanitatem inducendam.

Si vero signa plethorae adessent, vel congestionis

localis, tunc remedia solventia, debilitantia, refrigerantia, nisum plasticum moderantia, evacuantia, deplentia, pacantia, derivantia etc. sunt adhibenda; regimen et diaeta, atque therapia; sit antiphlogistica in vario gradu, extensione, et duratione, prout status reconvalescentis reposcit.

Absit hic omnis stimulantium, imprimis systema vasorum concitantium, caloris et turgoris incrementum causantium usus, hinc nec roborantia, nec calefacientia, sub hoc rerum statu conducunt, et nutrimenta larga, aromatica, animalia, spirituosa, etc. motus corporis et animi intensiores, febrim revocant, vel causam ponunt inflammationis localis.

Tantum si signa debilitatis majoris remansissent, uti post therapiam antiphlogisticam generosiore accidit, vel ex oppositionis dynamicae et stimulorum lege; si nisus in adynamiam adfuisset, sudores debilitantes, somnus inquietus, adpetitus langvidus, cum digestionem et adsimilationem lente procedente, nutrimenta concedantur bene nutrientia, digestu facilia, moderate et gratis aromatibus condita, parva quantitate saepius tamen repelita, prout digestionis et adsimilationis organa postulant. Vinum bonum, generosum, vetustum, sine, vel cum aqua commixtum, parva tamen semper quantitate adhibitum in hoc statu conducit, nisi stimuli impatientia adesset. In stimulantibus tamen ordinandis semper morbi praegressi natura prae oculis habeatur.

Praeter haec remedia amara, amaro aromatica, amaro nutrientia et c. indicationibus correspondenter, adhibeantur, si bonum illorum effectum inducere cupimus; uti sunt: absinthium, chamomilla, trifolium fibrinum, cardus benedictus, centaurea, gentiana, lichen islandicus, salvia, calamus aromaticus, cortex peruvianus, tinctura amara, tinctura absinthii, visceralis, liquor anodynus min. Hoffmanni, etc.

§. 16.

Convalescentia ex febris putrida.

In Febri putrida irritatio systematis vasorum, cum dyscrasia sanguinis, et ejus indole venosa, nisuque, prout etiam aliorum se et excretorum humorum, imo totius organismi in resolutionem, et colliquationem adest. Hinc vera virium debilitas, sanguinis tenuitas, et parcitas, cum minori in coagulum, majorique in resolutionem nisu, inminuta partium solidarum nutritio, et nisus in excretionem profusas, crases, post febrem quoque ut ejus effectus remanent. Magnae hae nunc in vita et materia organica, praesertim vero in sanguine mutationes, magnam medici attentionem expostulant, longoque tempore indigent donec sufferantur. Hinc juvabit hic accuratam hujus convalescentiae rationem tradere.

§. 17.

Prodroma hujus convalescentiae sunt sequentia: Febris 7ma 9na 14ta 21ma die disparet, circulatio sanguinis fit liberior, fortior, magis regularis, evacuationes symptomatae imminuuntur, vel et penitus disparent, e. g. sudores. diarrhoea, haemorrhagiae, functiones systematis nervosi evigilant, aeger fit illorum particeps quae circa illum fiunt, est saepe etiam iracundus, quaeritur de nimia virium debilitate, et aliis, somno quieto reficitur, redit adpetitus, instinctus, sensuum, animi, et mentis vigor, adparet saepe sudor criticus, vel urinae turbidae, cum sedimento copioso, laevi, flavobruneo, vel rubro, nonnunquam ptyalismus, e. g. in variolis, scarlatina, angina, pneumonia, putridis, tumores et metastases varii, parotidis, vel aliarum partium, carbunculi, anthraces, furunculi, bubones; barycoia, cophosis, amaurosis, vel alii visus errores, hydroa etc. praecursores

hujus convalescentiae sunt; raro vomitus et diarrhoea, nisi cum statu gastrico complicata fuisset.

Adnotandum tamen hic habeo, his symptomatibus, vel et aliis, non semper fidendum esse, imprimis vero evacuationibus criticis, quae sat saepe symptomatae sunt, facile excedunt, et in aegri perniciem operabuntur.

Et ita non raro accidit, ut et aeger et medicus licet emendationem magnam percipientes, saepe falluntur.

In ipsa vero convalescentia sequentia observamus, uti debilitatem veram, majorem vel minorem, motus muscularis languorem, motum corporis debilem inertem, tremores artuum, susurrum vel tinnitum aurium, baryecoiam vel et cophosiam, vertiginem, oculorum obnubilationem, imprimis sub virium intentione, sub itu. Dolores ex decubitu remanentes, et metastasis reliquias, vestigia consumptionis materiae organicae majoris; hinc corpus in his reconvalescentibus, saepe sceleti adinstar emaciatur, facies est pallida, collapsa, cum annulis lividis circa oculos, oculi ipsi languidi in ipsam orbitam retracti, debilitatem totius corporis et mentis magnam indicantes, cum physiognomija fatua, color corporis et faciei est cachecticus luridus, ob imminutam nutritionem in cute, pilorum defluvium alopecia; partium solidarum minor cohaesio, mollities, teneritudo, et laxitas, animus est segnis, itus vacillans capite cum toto corpore antrorsum flexo, genibus trementibus, cito defatigans, et facile oedemata imprimis pedum causans; corporis et mentis major intentio non fertur, sine virium jactura. Somnus est quietus, placidus, longius protractus, absque somniis, valde reficiens, saepe tamen et sudoribus facile turbandus. Turgor vitalis et calor minor, major erga frigus sensibilitas; pulsus paulatim ad normalem accedit, adpetitus est bonus, vel languidus, saepe singularis, digestio, ut plurimum segnior et debilis, saepe adest nimia voracitas, malacia vel pica, assimilatio et nutritio lente incedit, virium incremen-

tum tardum, cum emendatione tamen continua. His accedunt ut jam dixi, animi torpor (dispositio ad melancholicam, fatuitatem) saepe et subita absque causa sufficientie excitatio, adfectus, et pathemata, noncontentia cum statu suo, quaerelae, etc. Evigilant instinctus et sexus sexualis, cum nimia saepe salacitate, satyriasis, nymphomania, anomaliae menstruationis, blenorrea- etc.

Ex quibus omnibus patet magnam hic ad morbos dispositionem remanere, imprimis ad passivos, ad recidivas, in sudores, diarrhoeas, haemorrhagias colliquativas, ad cachexias omnis generis, in specie scorbutum, chlorosim, hydropem, tabem, febrim, hecticam, phthisim. Ad nevroses hypochondriam, fatuitatem, melancholiam, paralyses etc.

§. 18.

Duratio. Convalescentiae ex feбри putrida longa plurimum est, ita ut per septimanas, immo per plures menses duret, donec pristina restituatur corporis integritas. Accidit etiam non raro ut nunquam pristinus restituatur vigor. Generatim eo longior est convalescentia, quo graves morbus induxit mutationes, quo debilior fuit individuum morbo tentatum, et quo provectoris fuit aetatis. Praeter haec epidemia regnans, anni tempus, therapia et reliquae circumstantiae sub quibus convalescentes vivunt, respici debent.

§. 19.

Prognosis. Nunquam tam fausta est quam in convalescentia ex feбри inflammatoria. Ob magnam enim virium debilitatem, humorum dyscrasiam, et nimiam materiae organicae jacturam, vitamque sensiferam sub morbo valde tentatam, reproductionem, et restaurationem corpo-

ris lentam, dispositio magna in recidivas, cachexias, et nevroses, longo tempore remanet.

Accidere etiam potest ut metastasis remanens, ob uiniam debilitatem in suppurationem profusam, vel in exulcerationem, aut gangraenam transeat; vel per suppressionem, aut ex causa alia, metastases novae in partibus nobilioribus oriantur, febris lenta depascens accedat, et mors inducatur. Quae omnia eo facilius orientur, si reconualescentes sub rationibus minus congruis vivant.

Cum porro in hac febre praeter adfectionem vitae plasticae, et vita sensifera multum patitur, hinc fieri potest, ut langvorem constantem retineat, functiones mentales torpore corripiantur, memoria labefactetur, et fatuitas aliqua remaneat, cum magna ad vesanias et nevroses dispositione, e. g. ad hypochondriam, melancholiam, paralyses apoplexiam etc.

Vel quod organa sensuum externorum, auditus praecipue et visus, perpetuo labefactata remaneant, et baryecoin, surditas, susurrus, amaurosis, vel et alii visus et auditus adfectiones inducantur, paralyses partiales persistent, etc. Quae omnia imprimis tunc erunt timenda si metastases in his partibus factae sunt, quibus in casibus, convalescentia, saepe imperfecta erit, et saepe nec unquam sanitas pristina restituitur.

Absentibus his conditionibus malis, et faventibus omnibus praesentibus, convalescentiae licet lente incedentis, prognosis bona erit.

§. 20.

Therapia. In cura hujus convalescentiae, medicus sequentes indicationes respiciendas habet, nempe: recidivas, et alios morbos praecavere, dein; vires labefactatas erigere, dyscrasiam humorum corrigere, materiam organicam resarcire et emendare, colliquationem impedire, et denique reliquos morbi effectus tollere.

Respectu primae indicationis, debent omnes potentiae nocentes a convalescentibus removeri, imprimis vero potentiae directe debilitantes, uti: aër impurus, humidus, valde calidus, sudoribus favens, vel frigidus, refrigerium, animi adfectus deprimentes, vel et excitantes nimii, immundities corporis, vestimentorum, lecti et cubilis, errores dietetici, et omnis humorum praesertim nobilium e. g. seminis aut sanguinis jactura vitetur, et sic porro, quae omnia in therapia speciali fusius et clarius adnotata inveniuntur.

Modo studendum erit, in viribus labefactatis erigendis, in humorum et partium solidarum crasi aequae, ac imminutione tollenda, prout et in profusis se et excretionibus restringendis, atque arcendis, hinc in colliqvatione impedienda. Reproductio igitur promovenda erit, digestionem adtimationem, et nutritionem adjuvando, et excitando, corporis robur restituendo. In hunc vero scopum, prout et in aliis convalescentiis, ita etiam hic, optime succurritur regimen, diaeta, et therapia congrua, rationali, statui igitur accommodata.

Hinc aër aegrotum ambiens sit purus, moderate calidus, non humidus, nec frigidus, nec aliis peregrinis inquinatus, ut autem ejus puritas servetur, oportebit eum saepius renovare, fenestris frequenter apertis tempore sereno, (cavendum est hic ne aëre perflante, aut alio modo refrigerium admittatur) vel commotione ejus per ventilationem, inpraegratatione cum acidis praesertim mineralibus, in hunc et alium etiam scopum, mundities quoque corporis, et omnium rerum convalescentem ambientium servetur. Motus corporis pro virium statu concedatur, nimius tamen vitetur, hilaritas mentis et serenitas procuretur, per amoenas occupationes, et distractiones gratas, lusus, refocillantes. Conversationes omnes functiones grate erigentes cum amicis, vel aliis convalescenti gratis et caris; removeantur ex his omnia, quae animum nimis exagitare possent, et

adfectibus, atque pathematibus excitandis, occasionem darent.

Nec quies corporis et animi necessaria desit, hinc et somnus frequentius capiatur.

Praeter haec, victus conditioni totius corporis, et statui praesertim virium, in organis vitae plasticae inservientibus vigentium, accomodatus ordinetur. Sit igitur digestu facilis, bene nutriens, moderate stimulans, minoribus portionibus, saepius concedendis, sollicite vitentur omnes cibi, qui digestionis organa male adficiunt, polyblenniam, flatus, acidum primarum viarum, ructus, sodam, pyrosim, producant, aut diarrhoeae, producendae favent, aut vero digestioni resistunt, mole suo ventriculum opprimunt, et sordes inducunt.

Pro potu vinum bonum vetustum, vel solum, vel cum aqua commixtum, et parva quantitate datum valde conducit. Aqua pura, aut cerevisia amaricans bene fermentata, si organa digerentia ferunt, potum sistunt non contemnendum.

Medicamenta prout status deposcit, sint: roborantia, tonica, excitantia, anti-septica, uti sunt, remedia amara, amaro aromatica, amaro nutrientia, et alia, acida mineralia, stimulantia e. g. centaureum minus, trifolium fibrinum, gentiana, lichen islandicus, cortex peruvianus, cum, vel sine acidis mineralibus e. g. cum acido sulfurico, elixirio acidi Halleri! acido muriat. oxyg, millefolium, absinthium, radix caryophyllatae, chamomilla, calamus aromaticus, cum vel sine spirituosus uti cum tinctura absinthii, tinctura amara, elix. vitr. Mynsitchii, liquore, anodyno min. Hoffmanni, praeparata ferri mitiora, uti extractum malatis ferri, tinct. martis pomata et alia.

Ad molesta quae convalescentiam ex febris putrida saepius infestant symptomata, pertinent vertigo susurrus, et tinnitus aurium, baryecoa, aut cophosis, prout dolores ex

decubitu remanentes, vel et metastasis reliquiae, aut metastases ipsae. Priores qua signa debilitatis, facile tolluntur, quamprimum vires increscunt, et quamprimum sensibilitas et irritabilitas totius corporis, imprimis vero harum partium imminuuntur; baryecoa tamen, atque cophosis, longius saepe perdurant, et non raro per totam vitam, praesertim dum vitium aliquod organicum ex metastasi remansit. Quamprimum igitur adest metus chronicæ durationis, auxilium tempestive feratur per remedia statui accommodata, uti sunt derivantia, epispastica, vesicantia, irritantia emplastr. vesicatorium, euphorbii, ungu. Autenritii, retro aures vel ad nucham, sinapismi, pediluvia, cum cineribus, sale communi, vel cum farina seminum sinapis, cortex mezerei, fontanella, aut per resolventia, emollientia, vel roborantia, uti sunt unguentum mercuriale cinereum, retro aures inunctum, injectiones, fomentationes, vapores, ex emollientibus, ex althea, verbasco, aqua tepida cum oleo recenti; salvia, tinct. benzoe, quercus decoctum, alumen, solutio mercurii sublimati corrosivi, et sic porro. Quod verò dolores ex decubitu remanentes et metastases adinet, haec secundum principia therapeutica tractanda sunt. Illud tamen de metastasibus hic adnotare debeo, ut ad suppurationem quam maxime attendatur, ne illa nimio opere excedat, vel in exulcerationem, aut quod pejus, in gangraenam transeat, quid in similibus casibus agendum therapia specialis consulto indicabit.

Convalescentia ex febre nervosa.

§. 21.

Praeter quod minor sit hic nisus in colliquationem, reliqua fere communia habet cum febre putrida, hinc et simili ratione tractanda.

Convalescentia ex febre gastrica.

§. 22.

Præcedunt hanc convalescentiam evacuationes criticae, per vomitum et alvum, per sudores copiosos, foetentes, febris postquam per 24. horas, nonnunquam per plures dies, unam vel duas septimanas durasset, disparet; sapor normalis, adpetitus, digestio, et assimilatio restituuntur, se et excretiones ad normam reducuntur, evacuationes criticae saepe continuant; harmonia actionum et functionum iterum reddit. Ipsa phaenomena in reconvalescentia hac observanda differunt, prout morbi intensitas duratio quantitas, et qualitas sordium, et febris praecedentis natura variat, prout perfecte vel imperfecte solvebatur, et therapia congrua statim vel sero, vel incongrue adhibebatur etc. Hinc praeter debilitatem, irritabilitatem, et sensibilitatem totius corporis, normali parum majorem, praesertim organorum digerentium, nonnunquam fere nihil aliud remanet. Alias convalescentiam hanc plura molestant symptomata, imprimis si morbus intensior erat, longius duravit, negligebatur aut perverse tractabatur, uti sunt: debilitas totius corporis notabilis, substantiae organicae eximia jactura, emaciatio, color cutis alienatus, pallidus, luridus, facies collapsa cum annulis lividis circa oculos, adpetitus debilis, vel bonus, cum languida digestionem, saepe singularis, nausea nonnullorum ciborum, cum voracitate nonnunquam nimia, saepe adcedunt ructus, soda vel pyrosis, dispositio ad flatum tormina, colicam, alvus est vel opstipata imprimis post abusum emeticorum aut purgantium drasticorum, vel facile diarrhoica, urinae saepe turbidae.

Fit etiam, ut febre quamvis finita, status gastricus persistat; in quo casu aeger quidem ex febre, sed non ex morbo gastrico convalescit.

§. 23.

Duratio. Convalescentiae est varia, prout morbus gravior aut mitior adfuit, et hinc graviores vel leviores organismi mutationes induxit, multum quoque dependet duratio a therapia, epidemia, anni tempore, et aliis, ita ut nonnunquam per aliquot dies, alias longius duret.

§. 24.

Prognosis. Eo melior quo mitior fuit morbus, quo magis simplex fuit et statim congrue tractabatur.

Si vero morbus gravior, diutius perstans, saepius jam idem eundemque individuuum adficiens, praecessit, si idem negligebatur, aut male tractabatur, recidivae erunt valde timendae, nisi remedia adhibeantur congrua, imprimis tunc si status etiam aliquis gastricus remansit.

Tempore humido, frigido, calido, cum frigido alterante, hinc tempore autumnali sub graviditate etc. convalescentia lente incedit. Longius durat etiam tunc, si febris nervosa, vel putrida adfuit. Idem valet de omnibus potentiis nocivis in reconlescentes agentibus, prout et de illis individuis, qui ante morbum, jam longo tempore debili digestionem laborarunt, aut vitiis organicis viscerum abdominalium adfecti sunt. Animi intentio et vita sedentaria, convalescentiam retardant et recidivis favent.

In debilibus dispositio ad diarrhoeas longo tempore remanet.

§. 25.

Therapia. Diversa requiritur, et mutationibus indutis accommodata.

Indicationes hic eae sunt ut in aliis convalescentiis, nempe, recidivas praecavere hinc dispositionem tollere, effectus morbi exstinguere, digestionem, haematemesim, nutritionem, se et excretionem in statu normali conservare, sor-des recenter ortas vel ex morbo remanentes statim expellere.

Omniū primo regimen et diaeta accomoda ordinetur, quae in levioribus casibus, sola sufficiunt, in gravioribus vero aliis simul adjunctis multum valent. Nutrimenta sint levia recentia, digestu facilia moderate nutrientia, aromatibus gratis condita, nec obstruentia, nec diarrhoeae faventia, parva semper quantitate porrecta, ne ventriculum opprimant et sordes producant. Vitanda sunt omnia alimenta crudiora, digestu difficilla uti sunt, farinosa crudiora, pingvia, mucida, male excocta, ova dura, carnes tenaces pingves, legumina, fructus immaturi, caseus, pisces, etc. et omnia quae alvi obstructioni favent, quae functionem cutaneam supprimunt, et secretionem tubi intestinalis augent, nocet etiam nimia mentis intentio, animi adfectus, et pathemata, aër frigidus humidus, tempestas pluviosa, temperatura variabilis, etc.

Pro potu aqua pura non frigida, aut cum succo citri, cum aceto vini, cum syrupo rubi Idaei, elixirio acidi Halleri remixta, aut si debilitas major emeretur vinum bonum, cum vel sine aqua remixtum, parva quantitate bene conducit.

Si vero major debilitas totius corporis, imprimis vero organorum digerentium et adsimilantium remanet, tunc remedia amara, amaro aromatica, extracta tonica, vel tonico solventia vel sola, vel cum aquis, aut infusis aromaticis, aut spirituosis remediis additis optime indicantur, uti tinctura absinthii, tinctura amara, liquor anodynus miner Hoffmanni, fumaria, taraxacum, saponaria, vel sola vel cum praegressis juncta; rheum dosi refracta, centaureum, trifolium ibrinum, gentiana, fel tauri, colombo, radix calami aromatici et c. in casu speciali remedia chinacea, praeparata ferri mitiora, tinctura martis pomata, extractum martis cum succo pomorum, etc. debent adhiberi.

Quod de motu et quiete; somno et vigiliis, tam corporis quam animi supra commemoravi, hic etiam locum in-

veniet, quibus hic illud addendum esse censeo, ut post pastum omnia corporis et mentis intentio sollicitè vitetur.

Si vero status aliquis gastricus remaneret, vel si sordes in organis digestivis novitus generarentur, absit horum remediorum imprimis roborantium, chinaceorum usus, et prouti indicationes postulant, remedia vel solventia, vel tonico solventia, acidula, et si majori adessent copia evacuantia adhibeantur remedia, et quidem vel emetica alterantia, uti sunt: tartarus emeticus, Ipecacuanha vel eccoprotica aut purgantia antiphlogistica, vel si debilitas major adesset phlogistica uti: rheum, senna jalappa etc.

Convalescentia ex febre biliosa simplici.

§. 26.

Morbo per evacuationes criticas (e. g. per alvum per vomitum, biliosos; sudores, urinas, haemorrhagias, exanthemate etc.) perfecte soluto, convalescentia perfecta incipit, in qua sequentia observamus: uti debilitatem majorem vel minorem, cum substantiae organicae jactura in gradu diverso remanentem, sensibilitatem et irritabilitatem totius corporis, imprimis hepatis et organorum digerentium majorem vel minorem, cum caractere debilitatis, se et excretionibus facile alienandis, et cum nisu in recidivas, febres intermittentes, et alios hepatis aut organorum digerentium morbos, aut in alios ex horum adfectione suam originem repetentes.

Adpetitus igitur restituitur, saepe tamen adhuc normali debilior est, praesertim ab initio reconvalescentiae, alias, solet etiam major esse, aut in certos cibos directus cum fastidio aliorum; digestio et adsimilatio normali ut plurimum debilior, tardior, facile turbanda; adsunt saepe ructus insipidi, vel sero post pastum cibos adhuc redolentes, vel facile acidi hinc inde amari, dispositio ad flatulentiam, tormina, sodam, cardialgiam, etc. alvus est vel norma-

lis, aut obstipata, vel ad diarrhoeam prona, alias etiam diarrhoica, urinae saturatius tinctae, emaciatio corporis diversa, partium teneritudo major, mollities et laxitas; cutis pallor, facies est collapsa lurida, flavicans; somnus placidus reficiens, et continua corporis et virium emendatio. Alias post febriem abactam remanent signa congestionis humorum majoris ad hepar, cum stasibus hujus visceris, tarda sanguinis per venam portarum circulatione et secretione bilis copiosiore, quae se manifestant per aliquam intumescendum leviozem vel graviozem regionis hypochondriacae dextrae, per sensum plenitudinis, aut ponderis, per sensibilitatem licet exiguam sub adtactu rudiori, adpetitum digestionem et assimilationem magis prostratam, cum ructibus frequenter amaris et sapore hinc inde amarescente, conjunctiva oculi et cutis, in locis imprimis tenerioribus, e. g. circa oculos, et alas nasi flavicante, urinis magis ictericiis et alvo saepe biliosa reficiente, doloribus ad hepar colicis hinc inde accedentibus, et aliis pluribus vel paucioribus, mitioribus, vel intensioribus phaenomenis polycholiam indicantibus.

In quo casu, aeger quidem ex febre convalescens dicendus erit, adtamen respectu status biliosi adest morbus, facile autem idem accidit tunc, si status talis longo jam tempore ante febriem perstitit, uti in cholericis individuis accidit, morbis hepatis jam saepius tentatis, aut si therapia evacans, generosior adhibita est, vel longo tempore continuabatur; in similibus rerum, circumstantiis remanent saepe digestionis et adsimilationis chronici errores, infarctus viscerum imprimis hepatis, humorum stasis, tarda per vasae circulatio, adpetitus debilis, digestio iners imperfecta, diarrhoeae chronicae vel obstipatio alvi, dispositio, ad recidivas, febres intermittentes, ad cachexias, icterum, scorbutum, arthritidem, hydropem, hypochondriam, haemorrhoides etc.

§. 27.

Duratio. Convalescentiae variat, dependetque a mutationibus majoribus vel minoribus, per febrim, et omnes in hanc influentes potentias inductis, prout et ab aliis causis in convalescentes agentibus, ita ut reconvalescentia per aliquot dies, alias per septimanas duret.

§. 28.

Prognosis. Laeta est statuenda quam primum morbus licet gradus notabilis perfectae solutus est, et constitutio corporis bona; aetas, anni tempus, et reliquae circumstantiae sanitati restituendae favent.

Si vero morbus ex dispositione biliosa longius praecedente ortus est, si gradus intensioris fuit, longius duravit, si negligebatur, aut perverse tractabatur, imperfecte solvebatur, aut febris adynamica adfuit, aut idem vel alter hepatis, morbus, individuum jam saepius vexavit, si graviores ex his causis inductae sunt mutationes, tunc recidivae sunt valde timendae, vel convalescentia longa, aut imperfecta.

Animi adfectus, pervigilium, vita sedentaria, mentis nimia intentio, adfectio haemorrhoidalis, anomalia menstruationis, graviditas, epidemia morbis biliosis favens, aër humidus frigidus, vel aestus nimius, recidivis magnopere favent et convalescentiam retardant.

§. 29.

Therapia. Statui individuali accommodetur oportet, sub hoc respectu causa occasionalis semper prae oculis habeatur, imprimis epidemius morborum genius, anni tempus, aegri temperamentum, ejus vivendi ratio, et omnes morbi praegressi rationes, bene notentur. Et sic therapia statui maxime conveniens, in quantum fieri potest ordinetur, cum regimine et diaeta consentanea, saepe sola

sufficiente, quae nunc mox antiphlogistica, solvens, e. g. gramen, taraxacum, cichoreum, saponaria, fumaria, sapo medicinalis; aut tonico solvens, aut cum solvente vi nutrientem simul exerens, vel si debilitas adesset stimulans roborans, non tamen, adstringens, aut sopiens, erit etc.

Si igitur status biliosus minor supermansisset, remedia solventia, cum rheo conjuncta, ea dosi ut alvi evacuationes regulares fiant ordinentur, si vero bilis majori copia accumularetur, praestat de tempore purgantia, aut emetica, prout indicationes sunt exhibere. Adtendatur tamen, ne salium antiphlogisticorum abusu statum quem delere cupimus, inviti sustineamus. Hinc si congestionis signa ad hepar, cum debilitate juncta incederent, tunc si tamen necessaria essent evacuantia, talia seligantur, quae minus debilitando agunt, e. g. rheum, senna, Ipecacuanha, etc. et post horum usum remedia alterantia, excitantia, aut roborantia, amara, amaro aromatica, adhibeantur, uti centaurea minus, trifolium fibrinum, fel tauri inspissatum, absinthium, chamomomilla, calamus aromaticus, Ipecacuanha dosi refracta, sal ammoniacus, gummi ammoniacum, asa foetida etc.

Si vero sensibilitas major et status spasticus, in hepate remaneret, quod frequenter accidit, praesertim in hystericis et hypochondriacis, tunc solventia, aromatica, antispastica per bene adhibebuntur uti sunt: chamomilla, valeriana, asa foetida, costoreum, opium etc.

Victus sit levis, partim vegetabilis, partim animalis, statui organorum digerentium conveniens.

In hoc prout et in potu ordinando, saepe instinctus reconvalescentis dirigat medicum oportet, qui hunc et statum praesentem respiciens, pro harum diversitate varia acomodabit remedia diaetetica, ita ut potus modo aqua mera sit non tamen frigida recens, vel cum aceto, succo citri, syrupo rubi Idaei, oxymelle simplici, elix. acid. Hal-

leri, vel modico vino remixta, aut aquae medicatae salinae, ex fontibus prorumpentes, aut serum lactis, cerevisia bene fermentata.

In statu chronico passivo, frictiones abdominis panno, vel manu sola factae, motus moderatus in aëre libero, vel passivus uti equitatio vel vectio in rheda, corpus concutiendo, stases solvendo, humorum motum excitando, in certis casibus bene conducunt.

Praeterea emplastra solventia cutem irritantia, humores derivantia, antagonistiche agendo multum saepe praestant. Magna merita debentur etiam balneis, simplicibus, tepidis, vel aromaticis, saponaceis, Kalinis, cutis functionem promovendo, humores derivando, obstructions solvendo, circulum aequabilem reddendo, omnes functiones, se et excretiones adjuvando, et corpus roborando. Habitatio in ruri, rusticatio in aëre libero, puro, non humido, nec frigido nec calido, serenitas et hilaritas mentis occupationes amoenae convalescentiam valde adjuvant. Potentiae nocentes omnes vitentur.

Theses defendendae.

1. Convalescentia a morbo et a sanitate differt.
 2. Omnes morbi sunt continui, igitur vere intermittentes non existunt.
 3. Morbus syphiliticus semper communicative oritur.
 4. Vita individualis ex vita universa efflorescit, hinc aliquid aeterni continet.
 5. Vires igitur et materiae organicae non pereunt, sed in communia abeunt naturae elementa.
 6. In natura nihil novi accidit.
 7. Generatio est reproductio adaucta, ultra limites individui.
 8. Experientia vera unicus est verae medicinae fons.
 9. Functio hepatis cum pulmonum officio congruit.
 10. Ophthalmia neonatorum, ab ophthalmia Aegyptiaca indole sua non differt.
 11. Morbus maculosus haemorrhagicus Werlhofii est scorbutus topicus.
 12. Virtus specifica corticis peruviani in feбри intermittente est limitibus circumscripta.
 13. Omne remedium est specificum.
 14. Remedia indifferentia non dantur.
 15. Sensibilitas non est principium vitae nerveae sed potius productum seu effectus.
 16. Materia est phaenomenon virium, igitur materia et vis idem.
-

SECRET

...the ... of ...

...the ... of ...

...the ... of ...

...the ... of ...

...the ... of ...

...the ... of ...

